

XXXVI. Atque ita perit argumentum, quod ex notione & definitione *substantiæ* pro existentia *simplicium substantiarum* sine partibus, sine magnitudine, petit Cl. Engelhard, pag. 13. vti vidimus §. 30. Astute ficta & excogitata est talis *substantiæ* definitio, quæ infert & supponit ea *simplicia*, siue ipsum τὸ κρινωμενον.

XXXVII. Quomodo autem illa *simplicia elementaria*, siue principia corporum omnium, mundum totum representent, sed obscure & sine vlla distinctione, quis intelliget? An per ideas confusas? ita videtur. Quæ enim alia posset esse representatio mundi, vnde *simplicia spiritus* possent vocari? sed quomodo *simplicia* & principia omnium corporum possunt vocari *spiritus*; aut per ideas vel quouis alio modo mundum, & quidem totum, representare? Hæ meræ sunt tenebræ. Quas & vidit Cl. Bulfingerus. Vti & Cl. Engelhard sæpe fateri cogitur, se forsan illustris Leibnizii mentem non capere. Scribit quoque pag. II. Celeberrimum Wolfium simplicibus tribuere vim, quæ status eorum intimus continuo mutatur, ea lege vt præsens rationem contineat sequentis; sed qualis sit illa vis, non determinat. Vide ipsius Metaphys. Cap. 2. & 4. Ne vero creatore & conseruatore Deo opus sit; quibuscunque ignotis entibus & fictis *simplicibus substantiis* quamcunque vim & potentiam libenter adscribunt, vel fatalem & necessarium omnium rerum, causarum & effectuum, nexum & seriem statuunt.

XXXVIII. Hactenus de prima specie *simplicium*; progrediamur iam ad secundam & tertiam speciem, quæ cum prima magnam conuenientiam habere debent; siquidem in eo statu olim fuissent. *Secunda species simplicium est eorum qua mundum representant clare, sed indistincte, qualia sunt animæ brutorum. Tertia species est eorum, quæ mundum clare & distincte representant; qualia sunt nostræ animæ.* Quid sibi velit hoc representare mundum, & quidem totum & vniuersum; quomodo secundæ speciei *simplicia clare & distincte* representent; tam est obscurum, quam quomodo primæ speciei mundum obscure representent. Adeoque omnia hæc densissimis tenebris sunt inuoluta.

XXXIX. Olim confusos admodum conceptus habuerunt triplicis animæ; quæ vegetatiua esset in plantis & arboribus; sensitua in brutis animantibus; sed rationalis in hominibus. Vide Aristotelis Lib. 3. de Anima Cap. 20. Hanc confusionem & tenebras